



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro sui humiliatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

A mabilissima virgo Maria, impetra mihi à filio tuo, vt occidat in me & auferat omnes carnales, mundanas, priuatas, & creaturarum affectiones, extinguat in me omnia illicita desideria, omnemq; amorem inordinatum, & impleat cor meum castissimo, suauissimo ac feruentissimo tui amore, ardentissima & perfectissima charitate Dei & proximi.

Ad B. Virginem.

Ah vulnera cor meum dulcissima Virgo Maria, vt tui amore totus inardescam & langueam, Deoq; charitate perpetua inseparabiliter inhaeream.

Ah vtinam omnium transeuntium rerum & etiam meipsum oblitus, nihil cogitem, nihil diligam nihil desiderem, nisi Deum & te dulcissimam Dominam meam sanctam Mariam, Amen.

Pro diuini amoris repletionem ad B. Virginem Mariam, precatio.

O Regina caelorum dignissima Dei mater virgo Maria, pauperulus ego homuncio obsecro te per singularem illam prerogatiuam prae cunctis mortalibus tibi praestitam, vt, scilicet, voceris & reuera etiam sis Dei mater, Angelorum domina, caeli regina, hominumq; mediatrix, vt ex toto corde meo omnem tam carnis, quam mundi amorem atq; vanitates extirpes & euellas, repleasq; illud diuinissimi amoris tui, quo tu semper plena fuisti, balsamo, ita vt nil terrenum libeat, nilq; carnale mentem meam à caelestium contemplatione, praepediat, Amen.

Pro diuina gratia illustratione, & virtutum quotidiano incremento, precatio.

O Iesu candor lucis aeternae ac omnis boni origo atq; principium, obsecro te per tuam largisimam pietatem, misericordiam, & liberalitatem, illustra cor meum splendore gratiae tuae, & accende illud igne immensae charitatis tuae, & fac ex eo tibi purissimum perpetuumq; habitaculum, in quo iugiter moreris, meq; secundum tuum beneplacitum regas ac gubernes. Et quia verè pauper & inops sum, omnibusq; bonis & donis tuis indigeo, dignare quaeso sanctissimis tuis virtutibus animam meam excolere & exornare, vt quotidie in omni virtute & vitae sanctimonia proficiam, antiqui hominis sordes exuam, & te Dominum meum, quies via per quam ad aeternam vitam peruenitur, perfectè induam, perfectissimamq; tuam humanitatis conuersationem in corde ac interiori animae meae fundo scribam, quatenus ex integro me relinquam, atq; omnibus creaturis ex vero amore te anteponam & praeferam.

Ah pie Iesu vel iam tandem sufficiat mihi aberrasse à te, & in vitiorum meorum sordibus haesisse, exulasse etiam tã diu à te in huius peregrinationis & exilij tenebris.

Recipe obsecro vltro reuertentem ad te, vt corpore & voluntate de vitijs ad virtutes transiens, ad te, qui verè es terra sancta nobis promissa, & beatorum omnium in caelesti patria commorantium satietas & beatifica visio, peruenire merear, Amè.

Pro sui humiliatione, precatio.

O Iesu summa mea benignitas, per omnes tuas ignominias ac molestias, quas in tua passione pro mea salute sustinere dignatus es, te suppliciter oro, vt omnem à me animi tumorem prostriges, concupiscentias & affectiones omnes rerum temporalium funditus occidas, mihiq; feruentissimum me abiiciendi, contemnendi, humiliandiq; desiderium tribuas, atq; sub omnibus creaturis cor meum superbum ac inflatum deprimas, Amè.

Pro